


CONSUEVERUNT ROMANI PONTIFICES



Consueverunt Romani Pontifices, et alii SS. Patres, Praedecessores nostri, cum bellis corporalibus, vel spiritualibus premerentur, aut aliis vexationibus tentarentur, quo facilius ab illis evaderent, et tranquillitatem adepti, Deo quietius, et ferventius inservirent, et vacarent, divinam opem implorare, et Sanctorum suffragia per supplicationes, seu per Litanias deprecari, ac oculos cum Davide in montes levare, certa spe confidentes, inde illis auxilia affutura:

Quorum exemplo adductus, et Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus B. Dominicus Ordinis Fratrum Praedicatorum auctor, cujus Institutum, et Regulam, cum in minoribus essemus, expresse professi sumus, simili qua nunc temporis occasione, quo Albigensium haeresis partes Galliarum, et Italiae misere grassabatur, et tam multos excaecaverat seculares, ut in Domini Sacerdotes, et Clericos saevissime furerent, levans in Caelum oculos, et montem illum gloriosae Virginis Mariae Almae Dei Genitricis, quae germine suo tortuosi serpentis caput obtrivit, et cunctas haereses sola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris, mundum primi parentis lapsu damnatum salvavit, et de quo sine humanis manibus abscissus est lapis ille, qui ligno percussus, gratiarum aquas affluenter produxit, respiciens modum facilem, et omnibus pervium, ac admodum pium, orandi, et precandi Deum, Rosarium, seu Psalterium ejusdem B. Mariae Virginis nuncupatum, quo eadem Beatissima Virgo Salutatione Angelica centies, et quinquagies ad numerum Davidici Psalterii repetita, et Oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam ejusdem D. N. Jesu Christi vitam demonstrantibus, interposita, veneratur, excogitavit, excogitatum per S. R. E. partes propagavit, orandique modo praedicto per asseclas B. Dominici, fratres, videlicet Ordinis praedicti divulgato, et a nonnullis accepto, coeperunt Christi fideles meditationibus accensi, his precibus inflammati in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti, et lux catholicae fidei aperiri, et ad hanc orandi formam pro locorum diversitate, sodalitates per Fratres ejusdem Ordinis ad hoc a suis superioribus legitime deputatos, institui, et confratres in eis describi.

Nos quoque illorum Praedecessorum vestigia sequentes, militantem hanc Ecclesiam divinitus Nobis commissam, his temporibus tot haeresibus agitatam, tot bellis, pravisque hominum moribus atrociter vexatam, et afflictam cernentes, lacrymabundos, sed spei plenos, oculos, in montem illum, unde omne auxilium provenit, levamus, et singulos Christi fideles ad simile faciendum benigne in Domino hortamur, et monemus.

[...]

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Die XVII Septembris MDLXIX, Pontificatus nostri Anno Quarto.

PIUS PP. V